



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

✠. 10. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Cùm hæc omnia jam dicta facta fuerint, lætabitur justus, non amore vindictæ, sed justitiæ: quia videbit, se Dei gratiâ custoditum, non esse lapsum in ea peccata, unde tam severè puniri mereretur: mundabit opera sua, & bene operando fiet diligentior, dum cernit sanguinem, seu mortem, ac supplicia impiorum.

✠. 11. *Et dicet homo, si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.*

Cùm impii punientur, & justus lætabitur, tunc homines, qui ista videbunt, dicent: si justitia fructum aliquem adfert, ut verè adfert, ille maximus est fructus, quòd Deus, summus omnium Judex non sinit peccatores impunitos, nec justos irremuneratos; sed retribuit cuique juxta opera sua, quæ facta sunt in terrâ.

PSALMUS LVIII.

Titulus: *Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret.*

Scribendi hunc Psalmum occasionem narrat I. I. Reg. C. 19., nempe missos fuisse satellites à Saule, qui custodirent domum David, ne

forte noctu effugeret, ut eum mane facto interficerent: sed Davidem conjugis suae consilio, & auxilio per fenestram noctu demissum aufugisse.

Argumentum Psalmi est oratio Davidis, quam imminente tam ingenti periculo fudit ad Deum, & simul praedicat, ut solet, perditionem inimicorum suorum. Potest etiam Psalmus commodè explicari de Christo; item de impiorum persecutione, & exitio, ac justorum liberatione: nam solet David, occasione afflictionum suarum, universim loqui de afflictionibus, & consolatione justorum, & malitiâ, ac suppliciis impiorum: neque enim Ecclesia tam assidue, & accuratè Psalmodiam frequentaret, si de solo Davide plerique Psalmi intelligendi essent.

ψ. 1. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.

Vox est Davidis in propriâ domo, quasi in carcere detenti; obsidentibus eum satellitibus Saulis. Item vox justi est in mortis periculo constituti.

ψ. 2. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me.

Nunc explicat ψ. superiorem. Inimicos hîc vocat operantes iniquitatem: justî enim inimicos habent tantum iniquos: nec est alia cau-

ſæ inimicitiaë ; niſi quia illi iniqui ſunt , iſti juſti. *Inſurgentes in ſe vocat viros ſanguinum, quia inſurgunt in proximum, ut eum occidant.*

ſ. 3. *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.*

Eripe me , quia in magno discrimine vitæ amittendæ verſor : nam captivum me ceperunt , & impetum in me fecerunt viri potentes , Rex Saul , Abner Dux militiæ &c.

ſ. 4. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine : ſinè iniquitate cucurri, & direxi.*

Irruerunt in me fortes , quibus nec injuſti- tiâ , nec ullo peccato , contra eos patrato cauſam perſequendi dedi : nam curſum vitæ ha- tenus peregi ſinè ullâ ipſorum offenſione : & rectum curſum inſtitui , nec declinando ad dexteram , aucupando favores potentiorum ; nec ad ſiniſtram , opprimendo pauperes , & humiles.

ſ. 5. *Exurge in occurſum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Iſrael.*

ſ. 6. *Intende ad viſitandas omnes gentes; non miferearis omnibus, qui operantur iniqui- tatem.*

Ego bene operando ad te curſum meum di- rexi ; tu ergo curſum tui auxilii ad me diri- ge ; & vide de proximo periculum , & affli-

tionem meam : neque potes excusare impotentiam , vel ignorantiam : nam ut Dominus , omnia potes ; ut Deus , omnia vides ; ut Deus virtutum , seu exercituum , etiam per Angelum , & quamlibet creaturam me juvare potes. Demum *tu es Deus Israel* ; igitur Israelitas , ut proprius eorum Deus ex fœdere cum patribus nostris inito , protegere debes. *Intende &c.* adveniat aliquando dies universalis judicii , & nullius operantis iniquitatem miserearis , sed omnes pro meritis punias ; vel potius propheticè , *adveniet , misereberis , punies.*

ψ. 7. *Convertentur ad vespèram , & famem patientur ut canes : & circuibunt civitatem.*

Pergit explicare miseriam iniquorum in novissimo die. Finito die gratiæ , frustra incipient pœnitentiam agere. Patientur famem justitiæ , quam esurire in tempore nesciebant. Circuibunt , ut canes famelici , *civitatem Dei* , h. e. cœtum electorum , num apud aliquem misericordiam invenire possint , sed non inveniunt.

ψ. 8. *Ecce loquentur in ore suo , & gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit ?*

Redit ad malitiam iniquorum : nam vicissim loquitur nunc de culpâ , nunc de pœnâ impiorum. Ecce , qui me quærunt ad mortem , submissâ voce inter se loquentur : verba eorum

rum

rum quasi gladius erunt , quia de nece inter se consultant. Loquentur autem securè , quia dicent , *quis audivit ?* h. e. nemo audivit, secretus erit sermo.

✠. 9. *Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.*

Illi putant, se non audiri; sed tu, Domine, cui nihil est occultum, non tantùm deridebis eos, tanquam vanos, conatus eorum nullo negotio impediendo; sed, etiamsi omnes gentes cum eis conjungerentur, eas quoque contemneres, & nihili faceres.

✠. 10. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

Quia dixit, omnes gentes à Deo pro nihilo reputari, humiliat se sub potenti manu Dei, ut gratiam mereatur. Ego robur meum non à me, sed à te accepi; non est in meis viribus illud conservare, sed apud te custodiam: tu, qui dedisti, conservabis; nec sinè causâ confido, quia tu Deus suscepisti me protegendum ab infantiâ meâ, quia tu es propriè Deus meus, quem solum colo. Nec frustra loquor, quia misericordia Dei prævenit me olim, & , ut confido, me semper præveniet, ut non sinat me opprimi ab hostibus meis.

✠. 11. *Deus ostendet mihi super inimicos meos,*

C 5

meos,

meos, ne perdas eos, ne quando obliviscantur populi mei.

ψ. 12. *Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine.*

Redit ad pœnam inimicorum, nec tam in personâ propriâ, quàm Christi loquitur. Jam revelavit mihi Deus, & re ipsâ videbo supplicium, quod hostes justissimè patientur. Ego autem precor Deum, ut non omnino extinguat gentem Judaicam: *nequando homines obliviscantur populi mei*: vult enim Christus agnoscere populum suum, unde originem secundum carnem ducit. Rogo igitur, ut in potentiâ tuâ, cui nemo resistere potest, dispergas illos per orbem, & deponas eos de altitudine gloriæ, Regni scilicet, ac Sacerdotii.

ψ. 13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, & comprehendantur in superbia sua.*

Dispergantur, & deponantur ob sermonem, quo dixerunt: *non habemus Regem, nisi Cæsarem; & Sanguis ejus super nos &c.* Captivi fiant à Romanis ob superbiam suam, quâ gloriabantur se esse filios Abrahæ, liberos, nemini unquam servivisse, Joan. 8. & quâ Dei Filium spreverunt.

ψ. 14. *Et de execratione, & mendacio annuntiabuntur in consummatione, in ira consummationis, & non erunt.* Hæc

Hæc verba : *Sanguis ejus super nos* , fuit horrenda execratio , quâ sibi imprecati sunt pœnam debitam immanissimi omnium scele- rum: Hæc verba : *Non habemus Regem* &c. mendacium , & simulatio fuit : constat enim illos noluisse dare censum Cæsari. Mentiebantur , se liberos , nemini unquam servivisse : nam servierant Pharaoni , Nabuchodonosori , Philistæis , & id temporis Romanis. Ob hanc execrationem , & mendacia infames erunt in toto mundo ; & , eversâ civitate , destructur omnis potentia , gloria , respublica ; hæc consummatio perfecta erit , quia non casu , sed ab irâ Dei eveniet : *Et non erunt* , h. e. erunt sine regno , honore , & miserabilis dissipatio , ut hodie videmus.

ψ. 15. *Et sciant , quia Deus dominabitur Jacob , Et finium terræ.*

Factâ dispersione gentis , & post ever- sionem urbis prædicato ubique Evangelio , tum apertè videbunt , Deum verum non solum esse Dominum populi Israelitici , sed omnium gentium usque ad ultimos fines terræ.

ψ. 16. *Convertentur ad vesperam , Et famem patientur ut canes : Et circuibunt civitatem.*

Deum dominari Jacob , & finium terræ , apertissimè scient ante tribunal Christi , dum illi flectetur omne genu. Tunc convertentur

ad

ad pœnitentiam, sed finito tempore misericordiæ ; famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem electorum, ut cibum consolationis inveniant.

ψ. 17. *Ipsi dispergentur ad manducandum, si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.*

Iidem Judæi dispergentur ad manducandum, recurrendo ad Patriarchas suos, & Prophetas, clamando ut canes famelici ; & quia nihil solatii accipient, nec ab iis pro filiis agnoscentur, incipient murmurare, & queri de infelicitate suâ. Alium sensum vide ψ. 7.

ψ. 18. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo manè misericordiam tuam.*

Hactenus de impiis ; jam David sive in personâ propriâ, sive Christi, & Ecclesiæ, explicat lætitiâ suam, laudem Dei, & gratiarum actionem. Miseri illi latrabunt, & murmurabunt ; ego verò cantabo, & laudabo potentiam tuam, quâ debellâsti, & perdidisti iniquos ; & exultans laudabo misericordiam tuam, quâ liberâsti, & glorificâsti justos. Id verò faciam *manè*, ante omnia alia negotia, vel inchoante die æternæ felicitatis.

ψ. 19. *Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.*

Declarat effectum misericordiæ, quam exultando decantaturum se promittit : quia nempe me protegendum susceperis &c. ψ. 20.

Ps. 20. *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.*

Idem aliis verbis repetit, ut affectum suum, & gratum animum erga tantum benefactorem ostendat. Hâc voce, *Adjutor meus*, hebraicè *fortitudo mea*, laudatur potentia Dei, & significatur adjutor robustus, & potentissimus. Hâc voce, *Susceptor meus*, laudatur bonitas Dei, quæ sub alas suas protegendos suscipit electos. Hâc voce, *Deus meus*, significatur summum bonum nostrum, ac finis ultimus omnium desideriorum. Hâc voce, *Misericordia mea*, significantur in compendio omnia beneficia Dei, quibus ad summum bonum pervenimus.

PSALMUS LIX.

Titulus, & Argumentum: *In finem pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi Davidi in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriae, & Sobal, & convertit Joab, & percussit Idumeam in valle Salinarum duodecim millia.*

Occasio scribendi hunc Psalmum fuit ea victoria, quæ narratur in titulo, & fusius L. 2. Reg. 8. & 10. & 1. Paralip. 18. Occasione hujus victoriae canit Propheta prateritas afflictiones

nes